HABITUS EQUITUM S. GEORGII A FRONTE ET A TERGO

B.h.II,182.
h.50,26.

X 1881009

Gladius et Periſcelis cum verbis HONI SOIT QUI MAL Y PENSE, quia veſtibus teguntur, hic ob oculos demonſtrari nequeunt.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-11687-p0001-9

II m
614

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-11687-p0002-4

D. F. G.

DE

ORDINE EQVITVM S. GEORGII ET PERISCELIDIS COERVLEÆ IN ANGLIA

vulgò vom

Engelländiſchen Ritter-Orden

S. Georgen

Vnd des

Blauen Hoſen-Bandes

DISPVTATIO

Quam

PRÆSIDE

DN. HENRICO GÜNTERO THÜLEMARIO

J. U. Doct. & Antiquiſſ. Heidelb. Univerſitatis PROFESSORE ORDINARIO,

Præceptore ſuo plur. honorando,

publicæ eruditorum cenſuræ

ſubmittit

ADOLPHVS HENR. de WINZINGERODA

Eques Eichsfeldenſis, A.& R.

Ad d. Decembr. M DC LXXXI. horis locóque ſolitis.

HEIDELBERGÆ,

Literis SAMUELIS AMMONII, ACAD. Typogr.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-11687-p0003-0

SERENISSIMO AC POTENTISSIMO
PRINCIPI ET DOMINO

DN. CAROLO

D. G. COMITI PALATINO
AD RHENUM, S. R. IMP.
ARCHITHESAURARIO
ET
ELECTORI,
DUCI BAVARIÆ &c.
PRINCIPI
PIO,
FELICI,
MAGNANIMO,
PALATINATVS GLORIÆ,
GERMANIÆQUE DELITIO,

DOMINO SUO ADMODUM
CLEMENTISSIMO

D. D. D.

humillimè

A. H. de WINZINGERODA.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HALLE (SAALE)
BIBLIOTHECA PONICKAVIANA

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-11687-p0004-5

PRÆLOQVIUM.

DEliberanti mihi de Themate Diſputationis ante omnia præſens de ORDINE S. GEORGII & PERISCELIDIS (inter cujus membra Sereniſſ. & Potentiſſ. *Elector Palatinus* CAROLUS hodie ſplendet tanquam inter ignes luna minores) placuit, non solùm ob argumenti dignitatem ſed & jucunditatem. Opportunè autem accidit, quod dum Autores, qui de Splendidiſſimo hoc Ordine quædam hinc & inde literis mandârunt, evolverem, Celeberr. DN. PRÆSES in privato Collegio ad *Novellas Hebdomadales* prolixum Diſcurſum de Eodem inſtituerit, ex quo cùm pleraque notâſſem, deprehendi, me ſic non tantum moleſtâ librorum lectione levatum eſſe, ſed & ea hauſiſſe, quæ apud alios non facile invenias. Arripui itaque calamum, & ſequentes paginas de incluto iſto *Equitum Ordine* conſcripſi. Hæc Te *Benivole Lector* volui, neſcius ne eſſes ex qua Scaturigine hoſce latices in areolas meas derivaverim. Nam mihi ſemper in mentem eſt illud Plinii: *Plenum ingenui pudoris eſt fateri per quos profeceris.* Sed ſine verborum ambagibus ad rem ipſam in Nomine DOMINI noſtri JESU CHRISTI (exemplo Juſtiniani Imp. *l. 2. Cod. de off. Præf. præt. Afr.* & *proœm. Inſt.*) progredior.

THESIS I.

EQuites (qui Italis *Cavallieri*, Gallis *Chevaliers*, Germanis **Ritter** * dicuntur) hoc tempore triplicis generis eſſe in confeſſo eſt. Primum genus eſt *Auratorum*, Secundum *Cruciatorum* (di Croce) Tertium *Torquatorum*, quos aliqui *Clinodiorum Equites*, ex torque quia ſuſpenſa clinodia gerunt, appellant; ab Italis autem *Cavallieri de gli Ordini di Collana* vocantur à baltheo equeſtri è collo geſtari ſolito.

* Hæc vox nobis non venit ſenſu *generali*, quatenus denotat Nobilium Ordinem, di Ritterſchafft/ vid. Ordn. des Regim. zu Augſp. de an. 1500. tit. wi zwantzig Perſonen §. di andre ſechs. R. A. de 1555. §. und in ſolchem Frieden/ ſed *ſpeciali* eoque Eques eſt qui Equeſtri cingulo donatus (ſo zum Ritter geſchlagen worden) & is Nobili ſimpliciter ita dicto major eſt, atque ab eodem gradu diſtinguitur vid. Königl. Satzung zu Worms de 1495. tit. von der Einnahm der Aufflegung/ ibi Herren/ RJTTER/ Edelmann; Reform. guter Policei de 1548. tit. von unordentlicher Köſtlichkeit der Kleidung & tit. vom Adel §. jedoch ſollen Ritter/ Cl. D. Chriſt. Gaſtel *de ſtatu publ. Europ. cap. 33. n. 54.* D. Gabr. Svveder *introd. jur. publ. part. ſpec. ſect. 1. cap. 7. n. 6.* Non autem cum Oldendorpio *de jure ſingulari p. 496. n. 3.* Ritter putamus dici quaſi Dritter/ quod duo Equites his jungi ſoliti, daß ſi ſelb dritte geritten. Nec cum Joſ. Noldeno *de ſtatu Nob. cap. 3. n. 44.* derivamus vocem Ritter à græco ῥυτὴρ, quod *Servatorem* denotat. Sed cum Limneo *lib. 6. jur. pub. c. 2. n. 6.* à Reiten *equitare*.

THES. II.

Per Equites *Auratos* intelligimus qui torque aut alio clino-

dio non ſunt inſignes, ſed quorum dorſa ſaltim tanguntur enſe; vel quibus aliquando baltheus cum gladio adpenditur; vel quibus quandoque inaurata calcaria adplicantur. Tales ſunt quos Rex Rom. tempore coronationis ſuæ in templo (a) creat, quando ſcilicet (poſtquam nomen eorum ut adveniant à Regiæ Aulæ primario quodam Miniſtro (b) lectum eſt) ſolium ſuum accedentium & in genua procumbentium, vultumque in terram convertentium tergum ſtricto gladio Caroli (c) Magni Noribergâ (d) allato leviter tangit (e) vid. Dn. Præſes *cap. 25 Octoviratus n. 51.* Hanc ad claſſem ſpectant etiam Equites *Aurei Calcaris* qui à Papa Rom. Dn. Widman *lib. 1. Acad. ſtat. cap. 11*, & illi qui à Regibus Hungariæ gladio *S. Stephani*, Bohemiæ enſe *S. Wenceslai*, & Poloniæ *gladio regni* (dem Reichs-ſwerdt) tempore inaugurationis creantur.

(a) Singulare eſt, quod Carolus V. Imp. quando Aquisgrani an. 1520 coronâ aureâ [*] Conradi I. [**] cingebatur poſt, abſolutum ſolenne convivium gladio Caroli M. iterum (quemadmodum ante aliquot horas in templo fecerat) nonnullos equeſtri dignitate decoravit, teſte Hart. Mauro *in hiſt. coronat. Caroli V.* apud Goldaſt. *part. 3. polit. Imp. p. m. 275.* quod tamen nullus ſubſequentium Impp. imitatus eſt.

(*) Non enim eſt *ferrea*, ceu ſtatuunt Schonborn. *lib. 5. pol c. 9.* Chaſſan. *catal. glor. mund p. 5. conſid. 27.* Spangenb. *ſpecul. nobil. lib. 10. cap. 2.* Celeb. D. Ioh. Palatius *lib. 1. aquil. inter lilia cap. 5, n. 32.* nec etiam *argentea*, uti opinantur Ioh. Beka *in Chron. Epiſc. Vltraj.* Onuphr. Panvin. *de comitiis Imp. c. 11.* Mart Cruſ. *lib. 5. annal. Suev. p. 2. c. 7.* Sigon. *de regn Ital. lib. 7.* Mich. Schifer. ap. Arum. *diſp. de Orig & pot. Elect. n. 37.* Caſp Ens *Summar. elect. & coronat. Cæſ. c. 13.* ap. Gold. *p. 1. pol. Imp. p. 83.* Pont. Heuter *lib. 10.* Iov. *hiſt. lib 27.* Cl. Sim Bornmeiſter im Schau-Platz der Käyſer *in vit Car. V. p 399* ſed ex puro puto auro compoſita, ſic tamen, ut in ea laudabilis veterum parcitas ſatis eluceat, quemadmodum poſt Hartm. Maurum *hiſt. coron. Car. V.* teſtatur Excell. D. Præſes *cap. 25 Octoviratus locupletati n. 21.*

(**) Hæc falsò dicitur Caroli Magni Imp. corona ab Henr. Rebdorf. *in hiſt. ad an* 1361. Hieronyme Balbo *de coronat. c. 21.* ap. Gold. *p. 3. pol. Imp. p. 268.* Cruſ. *d. loc.* Vbb Emmio *hiſt rer. Friſ. lib. 50. in fin.* Theod. Hoeping. *de jur. inſign. c. 2. n. 776.* Defenſore *Colonienſ. jur. in coron. Reg.*

Rom.

Rom. quæſt. 1. Carpz. *leg. reg. c.* 11. *ſect.* 10. *n.* 15. Cl. Erneſt Gockel *cap.* 1. *de Europ. Reg. n.* 82. Dn. Palatio *d. cap.* 5. *n.* 37. Sprenger. *de vicariatu cap* 9. Cl. D. Ioh. Volk. Bechman *Ex. Exoter. jur pub* 3 *n.* 8. Dn. Kautner *p.* 4. der Teutſchen Staats-Kunſt *c.* 4. § 5. Dn. Becman. *not dign. diſſ.* 4. *c.* 3. *n.* 5. & 6. Svveder *dict. ſect.* 1. *c.* 2. *n* 34 quippe cùm eam Conradus I. Imp. confici, ac Henrico, dicto Aucupi, per fratrem ſuum offerri fecerit, Windichinus *annal. lib.* 1. Luithprand. *lib* 2. *hiſt. c* 7. Eccardus Sangall. *de caſib. ſui monaſt. c.* 5. quod etiam indicat *Chunradi* nomen, quod in arcu coronæ addito unionibus notatum conſpici teſtatur poſt alios D. Præſes, qui eam Noribergæ in æde S. Spiritus cum aliis Imperii clinodiis & lipſanis, ciſtæ ferreæ è laqueari ſuſpenſæ incluſis, olim inſpexit.

(*b*) Anno 1636 tempore coronationis Ferdinandi 3. legit eorum nomina Regis Rom. Aulicus Mareſchallus Comes de Starenberg vid. *Relat. iſtius coronat in Theatro Europ.* & ap. Carpzov. *de leg. Reg. c.* 11. *ſect.* 10. *n.* 34. In Ferdinandi IV inauguratione 1653 fecit hoc Comes Rabatta Regiorum ſtipatorum præfectus Thulden. *hiſt lib.* 2. *p.* 87. Cùm Leopoldus 1658 coronaretur legebat nomina Ferdin. Fridericus Comes de Fürſtenberg Käyſerl. Rath und Trabanten-Hauptman / ex *Diar. Eur. p.* 1. *p.* 945 Dn. Præſes *Octovir. c.* 25.

(*c*) Æneas Sylvius *hiſt. Frid.* 3. *Imp.* non putat eſſe hunc gladium Magni Caroli, ſed Quarti, inquiens: *cùm enſem inſpexi, non magni illius primique Caroli, ſed Quarti viſus eſt, qui Sigiſmundi genitor fuit. Nam Leo Bohemicus ſculptus in eo viſebatur, quo ille tanquam Rex Bohemiæ utebatur. In plebe tamen rumor manſit Magni Caroli fuiſſe.* Verum ex leone Bohemico, qui gladio inſculptus cernitur, tam firmum non petitur argumentum [verbis utor à Dn. Præſide in privato diſcurſu *de clinodiis & lipſanis imperii* nuper adhibitis] quo probari queat gladium Caroli M. non fuiſſe, licet demus Carolum IV leonem ſuum Bohemicum cum cauda bifurcata (poſtquam clinodia à Ludovico Imperatoris Ludovici IV filio an. 1350 accepta in Bohemiam tranſtulit) inſculpi curâſſe, quippe cùm enſem illum ipſe Carolus IV Imp. in conſignatione ſua clinodiorum & reliquiarum apud Goldaſt. *p.* 6. politiſch Reichs-händ. *tit.* 1. *p.* 204. adſcribat Carolo Magno antequam in poteſtatem ſuam acciperet. Accedit, quod in dicta conſignatione clinodiorum mentio etiam fiat Caroli M. pallii rubri duobus leonibus acu pictis conſpicui, verbis: auch iſt da ein rother Mantel S. Carls mit zweyen Löwen geworcht von gutem Geſteine / Perlin und Golde. Imò, quod majus eſt, Conradus I. Imp. morti proximus apud Winduchind.

Corbej.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-11687-p0008-7

Corbej. *d. lib.* 1. omninò meminit *gladii veterum Regũ* in ſermone ad fratrem, ibi: *Sumptis his inſigniis, lanceâ ſacrâ, armillis aureis cum chlamide &* veterum gladio Regum *ito ad Henricum, facito pacem cum eo, ut eum fœderatum poſſis habere in perpetuum*, hinc antiquitas ejus ſatis ſuperque eluceſcit.

(*d*) Tranſtulit eum anno 1424. die Benedicti cum aliis clinodiis & reliquiis Carlſteinâ Noribergam Sigiſmundus Imperator tempore belli Huſſitici, ubi primùm in S. Sebaldi templo adſervabantur, poſtea autem ædi S. Spiritus (der Spital-Kirchen zum Heil. Geiſt) inferebantur, in qua in hunc diem magnâ curâ ad ſolemnes uſus cuſtodiuntur. Celeb. Altorfinæ Prof. D. Joh. Chriſt. Wagenſeil *diſp. de Archivo Imp. & A. Bull. n.* 13. *ſeqq.* Nobil. Dn. Joach. à Sandrart in des andern Haupt-Theils der Teutſchen Academie 2ten Theil *p.* 86. D. Præſes *Octovirat. cap.* 25. *n.* 33. Gl. Layritz in der Welt Alter *p.* 430. Kipping *methodo nov. jur. pub. lib* 1. *cap.* 8. *n.* 12.

(*e*) Hos dici Ritter ohne müh̃e ſcribit Wigulejus Hundius im Bayerſchen Stamm-Baum *fol.* 408.

THES. III.

Inter illos autem à Rege Rom. in Germania creatos Equites, ex Comitum licet ſanguine oriundos, per ſpeciale & antiquum privilegium ſemper primus eſt unus ex vetuſta Camerariorum Wormatienſium ſeu Baronum de Dalberg familia, Magnif. Dn. Joach. Hagemejer *jur. publ. Europ. epiſt.* 4. §. 16. Hujus vigore à Ferdinando 4 anno 1653 Ratisbonæ (*) tempore coronationis Johannes Baro Dalbergius Camerarius Wormatienſis Eques inter omnes primus creatus eſt, ceu ex *Theatri Europæi tom.* 7. & Thuldeni *hiſt. lib.* 2. *p.* 87. obſervat D. Præſes *d. l.* Anno 1658 à Leopoldo quoque Francofurti Philippum Franciſcum Eberhardum Baronem de Dalberg (qui in præſentia eſt Cameræ Spirenſis Præſes, Pro-Judex, nec non Præpoſitus Wormatienſis & quà talis Academiæ hujus Cancellarius) primum inter 14 perſonas equeſtri dignitate inſignitum ex *Diarii Europæi part.* 1. *pag.* 944. notat Excellentiſſ. D. Præſes *d. loc.*

 (*) errat

(*) Errat itaque Gabr. Svvederus dum *dict. cap. 2. n. 31. in fin.* Ferdinandum IV Auguſtæ Vindel. coronatum ſcribit, nam ibi ſaltem electus, Ratisbonæ autem coronâ redimitus eſt. vid. *Theatr. Europ. tom. 7. ad ann. 1653.* Tum temporis Sereniſſ. Elector Palatinus Carolus Ludovicus cum Subofficialibus ſuis Comitibus de Sinzendorf primâ vice tanq. Architheſaurarius Imperii miſſilia aurea & argentea (quæ malè die Freuden-Müntze in Gold appellantur à Diterico *in not ad A. Bull. p. 109.* rectiſſimè verò di Freuden- oder Krönungs-Müntz in Gold und Silber dicuntur à Dn. Præſide *cap. 20. Octovirat. locupl. n. 21.*) in vulgus ſparſit, notante Eodem *in Octovir. d. cap. & cap. 28. n. 18.* quem totidem verbis Gabr. Svvederus ſuppreſſo nomine, more ſuo, deſcripſit *d. cap. 2. jur. publ. n. 42.*

THES. IV.

Olim Imperatores Romam coronationis causâ profecti (quod poſt Carolum V. Bononiæ in Regem Langobordorum & Romanorum Imperatorem coronatum nemo ex (α) ſucceſſoribus fecit) ſolebant Equites talismodi creare in ponte Tiberis (β) ante fores caſtelli S. Angeli, P. ab Andlo *de Imperio Rom. lib. 2. c. 6. in fin.* edicto prius per præconem edito, an præſentes adſint unus vel plures è familia Monachorum Baſileenſium, Bejerorum Argentinenſium, Camerariorum Wormatienſium (hi ſunt, de quibus ante dixi, Dalbergii) Boppartenſium Bavarorum. Nam ante hanc promulgationem nullus poterat tranſcribi in Equites, ſicut ſcribit ex Heroldo & Berneggero D. Præſes *cap. 25. Octovirat. n. 52.* Et hos in ponte Tiberino creatos, Equites *optimos*, di beſten / appellari refert Wigulej. Hund. *d. loc.* Tàm autem hi, qui in Italia, quàm qui in Germania Equitum ordini à Cæſaribus adſcribebantur, Equites S. Romani Imperii olim nominabantur, & adhuc dicuntur.

(α) Hi in Capitulationibus jurejurando promiſerunt quidem omnes ad Ferdinandum IV usque incluſivè, ſe Romanam coronam petituros, verbis: Wir ſollen und wollen di Röm. Königl. Cron empfangen / weni-

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-11687-p0010-9

wenigers nicht uns zu Empfahung der Käyſerl. Krohn befordern. Leopoldum autem glorioſiſſimum noſtrum Imperatorem Octoviri noluerunt amplius ad coronationem Papalem obſtringere, ſed contenti fuerunt coronationem tantùm Germanicam ſtipulari, Leopoldo *capit. art. 37.* promittente: Wir wollen di Röm. Königl. Krohn forderlichſt empfangen / und bei allem demſelben thun ſo ſich derhalben gebühret. Quoniam etiam in Idea perpetuæ Capitulationis in moderna Diæta Ratisbonenſi à Statibus confecta (quam apud D. Præſidem inſpexi) *art. 3. n. 2.* eadem verba, quæ jamjam ex *artic. 37.* Capitulationis Leopoldinæ allegavimus, habentur, nec quidquam ibi de coronatione Romana dicitur, ideò eam nunc planè ceſſare putamus.

(β) Bononiæ Carolus V. cùm anno 1530 à Clemente VII. Papa coronaretur, non ſub dio, nec etiam in templo Divi Petronii, ubi Imperatoriâ infulâ inſigniebatur, ſed in S. Dominici fano, quod, poſtquam Petronianam ædem egreſſus eſſet, adiit, Viros ſtrenuos auratâ militiâ donavit, teſte Henr. Cornel. Agrippa *Relat. coronat. iſtius cap.* 7. ap. Gold. *p. 4. pol. Imp. p.* 340. Poſt convivium ſolenne eodem die in conclavi Carolus Imp. adſumto gladio ſacro plurimos rurſus cum nobiles tum conſulares Viros ad equeſtris ordinis honorem dignitatemque provexit, Agrippa *d. relat. cap. 8.*

THES. V.

Non autem alios, nec peculiaris Ordinis Cæſar noſter, quatenus eſt Cæſar, creat equites, non quod non polleat illâ facultate, ſed quoniam ſpecialis Ordo in Imperio haud invenitur. Deliberatum quidem anno 1576 eſſe inter Rudolfum II. Imp. & Status Imperii de certo Equitum Ordine contra Turcos inſtituendo conſtat ex R. A. *de* 1576. §. ferners haben wir. R. A. *de* 1603. §. wi wir auch unvergeſſen bleiben & actis relatis à Limnæo *add. prim. ad lib. 6. jur. publ. c. 2. n.* 52. ſed rem iſtam nunquam habuiſſe effectum eſt notiſſimum.

THES. VI.

Cruciatos dicimus Equites religioſos ſeu eccleſiaſticos, qui crucem pro inſigni Ordinis portant. Hujus generis ſunt E-

quites S. Johannis, qui olim Rhodii vocabantur, nunc Malthesii dicuntur; Equites Teutonici ſeu Mariani; Templarii; Enſiferi; S. Sepulchri; S. Mauritii; S. Lazari; S. Stephani; S. Jacobi de Spatha; de Calatrava; de Alcantara; Jeſu Chriſti; S. Mariæ Redemtionis (*della Redemtione* aut *della Mercede*) de Monteſia; di S. Maria Mater Domini; S. Mariæ Lauretanæ; vid. Limn. *d. lib. 6. c. 2. à n. 53. ad fin. cap. ibique addit.*

THES. VII.

Torquati Equites catenam auream aut clinodium collo geſtant. Tales ſunt Equites *S. Georgii ſeu Periſcelidis cæruleæ & Balnei* (the Ordes of the Balh) (α) in Anglia; *S. Spiritus & S. Michaëlis* in Gallia; *Aurei Velleris* olim in Burgundia, nunc Hiſpania, (β) *Elephanti & Danebrogæ* in Dania; *S. Marci & de la Calzá* apud Venetos (γ) *Annuntiationis Mariæ* in Sabaudia; *Amaranthi* (**des Amaranthen-Ordens**) quales creat Chriſtina Regina Sueciæ, illisq; medalionem cum ſymbolo: *Semper Idem*, donat. Ad hanc claſſem pertinebant olim Equites *Stellæ*; *Spinæ Albæ*; *Canis*; *de la Jannette*; *Hyſtrici* (*du porc eſpic ou heriſſon*) in Gallia; *della Banda* vel *faſciæ rubræ* in Hiſpania; *Lunæ Creſcentis* in Sicilia; *Spicæ* in Britannia minori; *Draconis* (à Sigismundo Imp. inſtituti) qui tamen Ordines jam omnes planè interciderunt; vid. Limn. *d. loc.*

(α) Hi ita appellantur à balneo prævio, & plerumque à Regibus Angliæ è junioribus adſumuntur. Qui licet aliquando, teſte Camdeno *in deſcript. Britann.* in deſuetudinem abierint, nunc tamen iterum de novo effloruerunt, ac ſigni loco gerunt medalionem è rubro vinculo pendulum, cum lemmate: *Tria in unum juncta.* Selden. *de Titul. honor. lib. 2. c. 5. §. 45.* Celeberr. D. Joh. Chriſt. Becman *Notit. dign. illuſt. diſſ. 5. c. 1. n. 7. & diſſ. 16. n. 5.*

(β) In Aurei Velleris Ordinem quamvis non alius quàm Catholicæ Religionis adſertor per ſtatuta recipiatur, memorabile tamen eſt, Principi Auriaco Guilielmo Henrico anno 1673 vellus aureum à Rege Hiſpaniæ trans-

tranſmiſſum eſſe. Sed id ob ſingularem rationem ſtatus contigiſſe in aprico eſt.

(γ) Vid. Limn. *add. ad l. 6. c. 2. n. 51.* Cl. D. Becman *hiſtor. orb. terr. civil. cap. 12. n. 6.* Celeb. JCtus Gerh. Feltman *de titul. honor. lib. 2. cap. 11. n. 5.*

(δ) Huc quoque referri poteſt Ordo fœminarum, quem Auguſtiſſimi Cæſaris Ferdinandi III Vidua *Eleonora* è Mantuana Domo oriunda, ſub nomine & titulo *Mancipiorum Virtutis*, Schlavinnen der Tugend / anno 1662 ſub Leopoldi Imperatoris præſidio inſtituit. Emblema dicti ordinis eſt ſol, encauſticâ arte in forma nummi aurei repræſentatus, cum lemmate: *Hic ſolus ubique triumphat.* Inſignibus hiſce torquem adjunxit aureum Sereniſſima Imperatrix, ſervitutis ſcilicet ſignum. In Ordinem hunc, cujus Caput eſt laudatiſſima iſta *Eleonora* Imperatrix, nulla recipitur fœmina quæ non illuſtri ex familia ortum trahit, nec vitæ ſuæ virtuoſæ publicum aliquod teſtimonium adferre poteſt. Quæ recipi deſiderat, ſupplicibus literis Caput eapropter implorat, recepta autem publicè in Collegio ſupra dictum torquem cum emblemate accipit, & Capiti fidem cum obſequio promittit. Quodlibet etiam hujus Ordinis membrum obſtrictum eſt certis & ſolennibus quibusdam dieb9 inſignia iſta nigro vinculo alligata publicè portare. Tanta hæc Societas ſenſit hucusque incrementa, ut ultra LXX perſonæ (inter quas ex Inferiori Saxonia Celſiſſimam Principem Eleonoram Sereniſſ. Ducis Lynæburgenſis Georgii Wilhelmi conjugem, & Illuſtriſſ. Amaliam Comitem Lippienſem in Detmold eſſe, ex Celeberr. Dn. Winkelmanni Lüneburgiſchen Stam̃-Baum *p. 184.* & relatione Conſult. Dn. Præſidis didici) in illa hodie numerentur. Vid. de hoc Ordine Seren. Ferdinandi Alberti, Ducis Brunſuico-Lyneburgici wunderliche Reiſe- und Lebens-Beſchreibung *in fine.*

THES. VIII.

Nunc ad Ordinem, de quo in ſpecie agere nobis animus eſt, deſcendimus. Is dicitur Equitum *S. Georgii* (†) *& Periſcelidis cærulea, Garteriique*, Anglicè *Order of the Garder*, Gallicè *l'Ordre du bleu Jarretiere*, Germanicè der Garter-Orden / der Orden St. Georgens und des blauen Hoſen-Bandes / nomine

mutuato à cœrulei coloris fibulata faſcia gemmis auroque diſtincta (qua illius Ordinis Equites crus ſiniſtrum ſubſtringunt) cum ſequenti Gallicâ inſcriptione: *Honi Soit qui mal y penſe.*

(†) quia clinodii loco iſti gerunt iconem S. Georgii, quem etiam pro Patrono venerantur, ejusque honori templum in arce Windſorienſi, in quo creari ſolent Equites, Eduardus III conſecravit, diemque S. Georgii (XXIII. ſcil. Aprilis) illos quotannis ſacram habere juſſit.

THES. IX.

De origine ejus non una omnium eſt ſententia. Quidam putant Eduardum III. Angliæ Regem in honorem S. Georgii Martyris draconem conficientis hunc Ordinem inſtituiſſe.

THES. X.

Alii, inquit Guil. Cambdenus in deſcript. Britann. p. 213. *hujus Ordinis inſtitutionem multo antiquiorem faciunt, & ad Regem Angliæ Richardum I. referunt, Eduardumque tandem reduxiſſe credunt; in ipſo enim inſtitutionis libro, quem Guil. Dethicus Principalis Armorum Rex Garterii nomine inſignis, omnium quæ ad honorem ſpectant ſtudioſiſſimus, mihi oſtendit, ſic legitur: Richardo, cùm contra Turcas & Agarenos, Cyprum & Anconam moveret, longiorisque moræ pertæſum eſſet, dum mira ſolicitudine traheretur obſidio, tandem illabente per Divi Georgii, ut opinatum eſt, interventum ſpiritu venit in mentem, ut quorundam electorum militum cruribus coriaceum ſubfibulum, quale ad manus tunc ſolum habebat, induceret, quo futuræ gloriæ memores ex condicto ſi vincerent ad rem fortiter ac ſtrenuè gerendam expergeſierent, ad Romanorum inſtar, apud quos illa coronarum varietas, quibus variis de cauſis donati ſunt & inſigniti milites, ut his velut irritamentis excuſſa vecordia, virtus animi fortitudoque pectoris fervidior exſurgeret atque exiliret.*

THES. XI.

Sed hæc valde incerta ſunt, nec quidquam etiam ad ſcopum

pum faciunt; nam non putamus, etiamſi vera ſit hæc de Richardo I hiſtoria, iſtam rem ad inſtitutionem hujus ordinis quid contuliſſe. Eduardum quoque 3 hoc coriaceum ligaculum non reſpexiſſe ex ſequentibus apparebit.

THES. XII.

De Georgio iſto Martyre quæ narrantur non adeò firmo quoque nituntur tibicine, quippe cum nonnulli dentur, qui eum nunquam extitiſſe, alii verò Arrianum fuiſſe dicant. Imaginem illam, quâ Draconem transfigere depingitur, Cæſar Baronius pro ſymbolica etiam habet *in martyrolog. ad 23. April.* inquiens: *pictura illa S. Georgii, quâ effingitur Eques armatus, qui haſtæ cuſpide draconem interficit, juxta quam etiam virgo poſita manus ſupplices tendens implorat auxilium, ſymboli potius quam hiſtoriæ alicujus opinor eſſe expreſſam imaginem. In nullis enim, quæ recenſuimus, S. Georgii actis antiquis quicquam ejuſmodi legitur. Sed à Jacobo de Voragine abſque aliqua Majorum auctoritate ea ad hiſtoriam referuntur. Quæ potius in Virgine illa typum exprimunt (more majorum) provinciæ vel Civitatis alicujus, quæ adverſus diaboli vires tanti martyris imploret auxilium.*

THES. XIII.

Hæc cùm ita ſe habeant, tutiſſima eſt opinio, Eduardo III Angliæ Regi Authori hujus Ordinis iſtum S. Georgium nihil aliud denotare, quàm ingenioſum emblema officii Chriſtianorum Magiſtratuum, Draconem autem omnis generis hoſtilitates, inquietudines & difficultates, quas Reges & Principes infracto & imperterrito animo ſupprimere & penitus tollere debeant. Vid. Leuber & D. Horn tr. **vom Gartter-Orden.** Accedit, Eduardum iſtum, teſte Elia Ashmole *tract. Anglicè conſcripto de inſtitut. Ord. Gart.* omni ferè occaſione in iſtiuſmodi ſymbola & emblemata fuiſſe pronum, adeò, ut ejus clypei,

vaſa

vaſa argentea, lecti, ornatus equorum, aliaque, illis inſignita fuerint, quorum plura hoc tempore intelligi nequeant.

THESIS XIV.

Hæc confirmant emblemata & ſymbola quæ in aliis quoque Ordinibus Equeſtribus offendimus. Unus ſit inſtar multorũ Ordo *Aurei Velleris*, de cujus origine cominiſcuntur multa Scriptores. Petrus à S. Juliano *in origin. Burgund. cap.* 21, & qui eum ſequuntur, exiſtimant Philippum Ducem Aureo Vellere indigitâſſe fœcunditatem Burgundiæ ſuæ, ac in literis JASON myſterium eſſe, ſingulasque illarum certum exprimere Menſem, quo, quæ ad humanam utilitatem pertinent, colliguntur, *Julium* ſcil. *Auguſtum*, *Septembrem*, *Octobrem* & *Novembrem*. Aliorum conjecturas recenſet Limneus *lib. 6. jur. publ. c. 2. n. 17. ſeqq.* Dn. Becman *notit. dign. diſſ. 16. n. 3.*

THES. XV.

Polydorus Vergilius *hiſt. Anglic. lib. 19.* originem Ordinis noſtri petit à *Periſcelide cærulea*, quam Comitiſſæ Salisburienſi, ob pulchritudinem à Rege Eduardo III valde amatæ, inter ſaltandum decidiſſe, Regem autem propriis manibus ſuſtuliſſe, ridentique Aulicorum adſtantium coronæ altâ voce dixiſſe refert: *Honi ſoit qui mal y penſe* id eſt *ſine honore ſit, qui malè cogitat*; ſimulque adjeciſſe, futurum ut brevi hanc faſciam, quam nunc cachinnis proſequerentur, ſummâ veneratione ſuſcipiant. Quod poſtea etiam inſtituto hoc Ordine factum fuerit. Conſentiunt Spangenberg *p. 1* des Adel-Spigels *lib. 11. c. 17.* Limneus *lib. 6. jur. pub c. 2. n 26.* Beſold. *diſſ. de fœder. jure c. 5. n. 4.* Cl. Frid. Leutolff von Frankenberg (ſub quo nomine latitat Bernhardus Zech teſte Dn. Præſide *Schediaſm. de Aur. Bulla n. 14.*) in der groſſen Schau-Bühne der itzt regirenden Welt *p. 798* Cl. Hofman *diſp. Jen.* cui titulus: *Heptas Erotem. hiſtor. 6.* Dn. Chriſt. Widman *d. cap. 11.*

THES.

THES XVI.

Sed hanc relationem fabulam ſapere non injuriâ autumant Scriptores Anglici, aliique quibus aliquid ſalit ſub lævæ parte mamillæ: præter id enim, quod iſtarum gerrarũ fabri non conveniant, an Comiti iſti fuerit nomen Adelheidis, an Alicæ, an Aliſæ, an Johannæ? non opus eſt, ut bellã (*) illam mulierem habeamus pro *Johanna*, quæ formoſa virgo *de Kent* appellabatur, quam poſtea Princeps Eduardus cognomento Niger toti ſociam adſumpſit, quoniam nullus Hiſtoricorum meminit Eduardum Regem illam unquam amâſſe. Nec ab errore immunis eſt Joh. Seldenus, ſi, ex quorundam mente, *libro de Tit. hon. p. 793.* fœminam, cui faſcia illa poplitaria deciderat, Comitiſſam Cantii & Salisburi vocat, quippe cùm iſta, quæ Wilhelmi de Granſton ex Burgundia filia erat, *Catharina* nomen habuerit, ceu bene demonſtrat Ashmole *d. tr. cap. 5.*

(*) iſtam Comitiſſam Salisberienſem tantâ ſcribit Girard *livr. 6. de l'hiſt. de France* fuiſſe pulchritudine ut Johannes quoque Galliæ Rex, in Anglia captivus, eam perditè deperire inceperit, & in ejus gratiam, poſt liberatus & in Galliam profectus, iterum in Angliam redierit, ibique fatis ceſſerit.

THES. XVII.

Polydorus iſte etiam, ante cujus ætatem non innotuit iſta opinio, relationem illam non aliunde didicit, quam ex vulgi fama, ceu ipſe *d. lib. 19.* fatetur, inquiens: *Scriptores Anglici verecundè ſuperſtitioſi, fortè timentes, ne imminutæ majeſtatis Regiæ crimen ſubirent, ſi tale quid ut minus inſigne prodidiſſent, maluerunt id tacitum relinquere.* & mox: *proinde origo vera garterij ordinis non erat peætereunda ſilentio etiamſi profecta eſſet ab amore, quo nihil eſſe nobilius vult Ovidius, canens: Nobilitas ſub amore jacet; quocirca famam vulgi de iſtiusmodi inſtituti cauſa non vanam æſtimaverim.* Hinc non ſine cauſa falſitatis accuſatur poſt alios

ab Autore *Status Angl. p. 1. c. 19.* verbis: iſt gewiß / daß diſe lächerliche Geſchicht zum Schimpff des Ordens am erſten von dem Polydorus Vergilius erfunden / und nachgehends von andern fortgepflantzet worden. Quid quod & iſtius Polydori fides à multis in dubium vocetur, vid. Celeb. Voſſ. *de hiſt. lat. lib. 3. cap. 12.* Henricus Savilius *præfat. in Scriptor. rer. Angl. ad Eliſabetham Angl. Reg.* de illo ita: *Polydorus ut homo Italus, & in rebus noſtris hoſpes, & quod caput, neque in Republ. verſatus, nec magni alioqui vel judicii vel ingenii: pauca ex multis delibans, & falſa plerumque pro veris amplexus, hiſtoriam nobis reliquit cum cætera mendoſam, tum exiliter ſanè & jejunè conſcriptam.* Cui pollicem premunt Voſſ. *d. loc.* Dn. Becman *dict. diſſ. 16. n. 4.*

THES. XVIII.

Alii hanc rem magis incertam faciunt, dicentes: ipſius Eduardi III Regis uxori in conclave ſuum eunti periſcelidem illam decidiſſe, quam tolli juſſerit Rex additis verbis: hanc tu quidem vilipendis, ſed propediem veniet tempus, quo in magno erit apud quosvis honore. Alii alia narrant, vid. Nob. D. Joh. Caſp. Horn *d. loc.* Diverſitas autem relationum magis ſuſpectam hanc facit hiſtoriam. Sed, his nugis ſusque deque habitis, nobiliorem huic Ordini adſeremus originem.

THES. XIX.

Scilicet Euduardus III Rex Angliæ cùm animum induceret armis jus ſibi in regnum Galliæ competens vindicare, Windſoriæ decimo octavo anno Regiminis ſui [qui erat poſt Chriſtum natum 1344] Arturi Regis Equitum *Orbicularis menſæ* [*de la Table ronde*] (*a*) reſtituebat *Sodalitium*, hocque modo fortiſſimos Viros ſibi valdè devinciebat. Quo tempore non ſolùm dies ludis equeſtribus, ſed & nox varii generis recreationibus choreisq; in Reginæ ejusq; Virginum præſentia tranſigebatur (*b*) D. Horn. *d. loc.*

[a] Ho

[a] hoc inſtituit Arthurus Rex Britanniæ [qui floruit ſeculo Chriſtiano quinto] & ex 24 Viris bellicâ gloriâ præſtantibus conſtare voluit. Nomen inde ortum, quod Arturus in congreſſibus illos omnes menſæ rotundæ aſſidere mandaverit, quò contentioni de προεδρία omnis occaſio præſcinderetur. vid. Leslæus *hiſt. Scotiæ p. 145.* Joh. Major *hiſt. Scot. lib. 2. c. 6.* Fauyn *au theatre d' honeur livr. 5. p. 986.* Limn. *d. c. 2. n. 38.* ibique *add. ſecund.* Excell. D. Hachenberg *diſp. de controv. hiſt. Anglic. th. 35.*

[b] Hinc forſan nata eſt ſuſpicio de delapſa iſta faſcia Reginæ aut Comitis Salisburienſis.

THES. XX.

Philippus autem Valeſius Rex Galliæ, cum hoc Eduardi III Regis inſtitutum intellexiſſet, ad imitationem hujus Equeſtris ſodalitii Anglicani in aula ſua talismodi quoque Tabulam Rotundam incepit. Poſtquam autem Eduardus vidiſſet ſibi hanc Regis Galliæ æmulationem magno detrimento eſſe, alio de medio Viros ſtrenuos & fortes ſibi divinciendi ſollicitus fuit, quod etiam feliciter ceſſit.

THES. XXI.

Nam cùm ejus exercitus anno 1346 die 23 Aprilis, qui S. Georgio [a] in faſtis ſacer eſt, Galliam & in ſpecie Aquitaniam feliciſſimè ingreſſus eſſet, & paulo poſt ipſe Eduardus acie cum Gallis apud Creſſiacum decernere ſibi propoſuiſſet, cuivis militum ſuorum injungebat, ut tibiam ſiniſtram ligaculo ſubſtringeret. Quod cùm factum eſſet, victoriaque à partibus Anglorum ſtetiſſet, Eduardus Rex, ut militarem virtutem fortitudinemq; incomparabilem honoribus, præmiis ac ſplendore decoraret, anno 1350 magnis ſolennitatibus [b] in arce Windſorienſi [c] nobiliſſimam Equitum conſcripſit ſocietatem, quos ob periſcelidem in prælii, quod feliciſſimum habuit exitum, teſſeram datam Equites Garterii ſive Periſcelidis nominavit,

navit, Camdenus. *deſcript. Britann. p.* 212. Joh. Tilius *in Chron. de Regib. Franc. ad ann.* 1350 Thom. Milles *de Nobilitate polit. & civ. p.* 160. Mockel ap. Beſold. *diſp. de præmiis n.* 64 Ashmole *d. c.* 5. Dn. D. Horn *d. tr.* Dn. D. Becman *d. n.* 4.

[*a*] hinc Rex Eduardus diem S. Georgii, utpote ſibi ſuisque tàm fauſtum, quotannis feſtivum & ſolennem eſſe voluit.

[*b*] has deſcribit Jehan. Froiſſart *volum* 1. *de hiſtoir & Chron. c.* 101. ubi inter alia idiomate Gallico legitur, non ſolùm Eduardum Regem per Heroldos ſuos in Germaniam, Galliam, Burgundiam, Scotiam, Brabantiam, Hannoniam & Flandriam miſſos omnes Equites & Nobiles, promittendo quindecim ad adventũ, & ad abitum totidem dierum ſecuritatem, invitâſſe, ſed & eosdem magno numero comparuiſſe, Reginamque ipſam cum trecentis nobili ſanguine oriundis fœminis & virginibus ſolennibus hiſce adfuiſſe.

[*c*] illam accuratè delineat Camdenus *d. loc.*

THES. XXII.

